ÉRTEKEZÉSEK
A NYELV- ÉS SZÉPTUDOMÁNYOK KÖRÉBŐL.
KIADJA A MAGYAR TUD. AKADÉMIA.
AZ I. OSZTÁLY RENDELETÉBŐL
SZERKESZTI
SZINNYEI JÓZSEF
OSZTÁLYTITKÁR.

XXIV. KÖTET. 3. SZÁM.

SUPPLEMENTUM COMMENTARIORUM AD OVIDII AMORES TRISTIA ET EPISTULAS EX PONTO

SCRIPSIT
GEYZA NÉMETHY
SODALIS ORDINARIUS

Commentatio in consessu Academiae Litt. Hung. die 7. Nov. ann. 1921. recitata.

Ára 50 korona.

PA
6519
A72N4

BUDAPEST,
1922.

Némethy Géza
Supplementum
commentariorum ad
Ovidii Amores

OTTO HARRASSOWITZ
BUCHHANDLUNG·ANTIQ
·LEIPZIG·

LL
O965
Yn

SUPPLEMENTUM COMMENTARIORUM AD OVIDII AMORES TRISTIA ET EPISTULAS EX PONTO

*

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

SCRIPSIT

GEYZA NÉMETHY

SODALIS ORDINARIUS

Utr/25

Commentatio in consessu Academiae Litt. Hung. die 7. Nov. ann. 1921. recitata.

189928
18.6.24.

BUDAPESTINI

SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM HUNGARICAE

MCMXXII.

PA
6519
A72N4

Supplementum commentariorum ad Ovidii Amores Tristia et Epistulas ex Ponto.

Anno 1907. edidi libros Amorum Ovidianos adnotationibus exegeticis instructos, anno 1913. commentarium meum exegeticum ad Ovidii Tristia, duobus post annis ad Epistulas ex Ponto,[1] quibus opusculis id mihi fuit maxime propositum, ut libros ab interpretibus iam pridem immerito neglectos brevi interpretatione, quae dicitur, verbali instruerem. Sed dies diem docet: nunc igitur, quae mihi commentariis illis addenda videntur, supplementi instar hoc libello comprehendam.

Viros doctos autem, qui carminibus Ovidianis in exilio scriptis operam navant, hac occasione praecipue monitos volo, ut ea, quae de causa relegationis in excursu commentarii ad Tristia (p. 132. sqq.) exposui, diligenter perlegere et accuratae censurae subicere dignentur. *H. Magnus* quidem de hoc libri mei excursu in ephemeride *Berliner Philologische Wochenschrift* (an. 1920. p. 160.) ita tulit sententiam:

„Schon früher ist Ovids Schicksal mit der Verbannung von Augustus Enkel Agrippa Postumus in Verbindung gesetzt worden. Nun brachte nach Tac. Ann. I. 5. (die Erzählung klingt wie ein Roman) das Eintreten für den Agrippa dem Gönner Ovids, Fabius Maximus, den Tod. Da aber Ovid sich selbst anklagt (ex Pont. IV. 6, 9. f.), dem Fabius habe der Versuch ihn zu retten das Leben gekostet, so muss durchaus Ovids Verschuldung mit der Verbannung des Agrippa Postumus (7. v. Chr.) eng verknüpft gewesen sein. *Die Vermutung eines Zusammenhanges mit den Verfehlungen der jüngeren Julia ist also jetzt*

[1] *Commentarius exegeticus ad Ovidii Tristia.* Budapestini, sumptibus Academiae Litterarum Hungaricae, 1913. — *Commentarius exegeticus ad Ovidii Epistulas ex Ponto.* Ibidem, 1915. — *P. Ovidii Nasonis Amores,* edidit, adnotationibus exegeticis et criticis instruxit. Ibidem, 1907.

dank Némethy endgiltig erledigt, der undurchdringliche Schleier, der das düstere Geheimnis deckte, das der unglückliche Dichter mit ins Grab nehmen wollte, *wenigstens durchsichtiger geworden*".

Certe digna res est, quae summa cum cura pervestigetur.[1]

I.

Trist. I. 7. Nonnulli hanc elegiam et infra III. 14. ad Brutum oratorem et poetarum fautorem scriptas esse putant, ad quem missae sunt Pont. I. 1. III. 9. et IV. 6., ubi poeta eodem fere modo commendat carmina sua tutelae Bruti, sicut Tr. I. 7. et III. 14. amico innominato. Cf. adn. ad Pont. I. 1. in commentario meo exegetico p. 9.

II.

Tr. I. 9, 5—8:

Donec eris sospes, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Aspicis, ut veniant ad *candida tecta* columbae,
Accipiat nullas sordida turris aves.

Agitur de columbario vss. 7—8. Cf. Columell. De re rust. VIII. 8: „totus autem locus (i. e. columbarium) et ipsae columbarum cellae poliri debent *albo tectorio*, quoniam eo colore delectatur hoc avium genus" et Ov. Met. IV. 47—48. (de Semiramide in columbam mutata): „ut sumptis . . . pennis Extremos *albis in turribus* egerit annos".

III.

Tr. II. 191—192:

Iazyges et Colchi *Metereaque* turba Getaeque
Danuvii mediis vix prohibentur aquis.

Distichon inepte hoc loco positum uncis seclusit Merkel, quem ego secutus sum. Aliter *H. Magnus*, vir doctissimus et de

[1] Cf. infra *Appendicem* libelli nostri.

Ovidio optime meritus, sed nimium severus operum meorum censor, qui (*Berliner Philologische Wochenschrift* an. 1920. p. 159.) de hoc disticho ita disputat: „An Umstellung dachte schon *Owen*, der die Verse hinter 198. setzte. Sie sind aber höchst wahrscheinlich hinter 204. zu stellen als deutlich erkennbare Ausführung von 203: *gentes quas non bene summovet Hister*". Corruptela latet in *Metereaque;* Riese coniecit: *Neureaque*, Schrader: *Neurique et* turba *Getarum*, collato Val. Flacc. VI. 122. *Neuri* sunt gens in Sarmatia Europaea secundum Plin. N. H. IV. 88., Ammian. Marc. XXXI. 2, 14.

Sed totum distichon suspectum facit menda prosodica; nam in *Iazyges* littera *i* consonantis vice fungitur. Aliter in genuinis Ovidii versibus, ubi diligentissime servatur Graeca nominis pronuntiatio. Cf. Pont. I. 2, 77: „Aut quid Sauromatae faciant, quid *Iazyges* acres", ibid. IV. 7, 9—10:

„Ipse vides, onerata ferox ut ducat *Iazyx*
Per medias Histri plaustra bubulcus aquas",

Ib. 135: „Pugnabunt arcu dum Thraces, *Iazyges* hasta".

IV.

Tr. II. 409—410. de hilarotragoedia:

Est et in obscenos deflexa tragoedia risus
Multaque *praeteriti* verba *pudoris* habet.

Ad vs. 410. (*praeteriti pudoris*) H. Magnus (*Berliner Philologische Wochenschrift* 1920. p. 156) laudat Ov. Am. III. 1, 22: „Et tua *praeterito* facta *pudore* refers", unde elucet *verba praeteriti pudoris* idem significare, quod verba *impudica*.

V.

Tr. II. 427—430.

Sic sua lascivo cantata est saepe Catullo
Femina, cui falsum Lesbia nomen erat;
Nec contentus ea multos vulgavit amores,
In quibus ipse suum fassus adulterium est.

Ad. vs. 430. haec adnotavi: „Alludit ad Catull. 68, 143: „Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna Fragrantem Assyrio venit odore domum, Sed furtiva dedit mira munuscula nocte Ipsius ex ipso dempta viri gremio“. Supplendum: „Videtur igitur Ovidius Catulli carmen 68, quod viri docti nunc ad Lesbiam referendum esse rectissime censent, non ad Lesbiam, sed aliam quandam feminam nuptam rettulisse, quia Lesbiae nomen in toto hoc carmine nusquam occurrit“.

VI.

Tr. III. 7, 13—14. ad Perillam poetriam:

Nam tibi *cum fatis* mores natura pudicos
Et raras dotes ingeniumque dedit.

Ad vs. 13. haec adnotavi: „Tibi natura una cum Parcis (= Fatis) dedit, natura et Parcae dederunt“. Sed. H. Magnus (*Berliner Philologische Wochenschrift* 1920. p. 153.) rectissime monet *fata* hoc loco *vitam* significare, ut Ov. Her. IX. 160. (Deianira ad Herculem): „Ne videar *fatis* insidiata *tuis*“ et adfert Trist. I. 6, 23—24. (ad uxorem): „Sive tibi hoc debes nullo pia facta magistro *Cumque nova* mores sunt tibi *luce* dati“ i. e. *una cum vita* accepisti a natura bonos mores. Intellege igitur: „*una cum vita* dedit tibi natura bonos mores“.

VII.

Tr. III. 10, 11—12. de populis septentrionalibus trans Danuvium habitantibus:

Dum vetat et Boreas et nix habitare sub arcto,
Tum patet has gentes axe tremente *premi*.

Ad vs. 12. adnotavi: „*premi*, ita urgeri, ut per Danuvium glacie concretum regiones meridionales quaerere cogantur“. Errasse me vidit H. Magnus (*Berliner Philologische Wochenschrift* 1920. p. 156), qui hoc loco *premi* idem fere significare censet, quod *esse*, *habitare sub aliqua re*. Sententiam eius nunc

confirmo ipsius Ovidii verbis Met. I. 45—48. (de quinque caeli zonis): Utque duae dextra caelum totidemque sinistra Parte secant zonae, quinta est ardentior illis, Sic onus inclusum (i. e. *terram*) numero distinxit eodem Cura dei totidemque plagae tellure *premuntur*" et Tr. II. 190: „Parrhasiae gelido virginis axe *premor*".

VII.

Tr. III. 14. Nonnulli hanc elegiam ad Brutum oratorem et poetarum fautorem scriptam esse putant. Cf. supra §. I. ad Tr. I. 7.

VIII.

Tr. IV. 4, 21—22. poeta se excusat, quod supra vs. 7. nomen amici, ad quem haec epistula scripta est, „positis pro nomine signis" notum fecerit:

Ut non debuerim, tamen hoc ego *crimen habebo*:
Non fuit arbitrii littera nostra tui.

Ad *crimen habebo* haec adnotavi: „suscipiam, non recusabo". Locum rectius explicat H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 154.): „Quod nomen tuum notum feci hac epistula, *meum crimen* est, non *tuum;* non fuit enim arbitrii tui, qualem ego ad te scribam epistulam". Similis locus infra vss. 25—16. „Quo vereare minus, ne sim tibi crimen amicus, *Invidiam*, si qua est, auctor *habere* potest" i. e. pater (auctor) tuus, Messalla, *habebit invidiam*, non tu.

IX.

Tr. IV. 6, 19—20:

Ut patria careo, bis *frugibus area trita est*,
Dissiluit nudo pressa bis uva pede.

Hoc loco H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 151.) me ita reprehendit: „*bis frugibus area trita est* bleibt unerklärt. Dass *frugibus* Dativ ist und *trita* „geglättet" heisst, sieht auch

der gutwillige Leser nicht sogleich". Vehementer errat vir doctissimus: *frugibus* enim est ablativus instrumenti et *trita* idem significat, quod *calcata*. Audacter dictum, sed Ovidio digne. Proprie enim non *frugibus teritur* (calcatur) *area*, sed area frugibus (spicis) strata teritur ope tribuli, quod, ut Varro de re rust. I. 15. dicit: „fit e tabula lapidibus aut ferro asperata, quae cum imposito auriga aut pondere gravi trahitur iumentis iunctis". Secundum Ovidium autem *fruges* sive *spicae* tribulo calcatae ipsae quoque terere videntur aream. Cf. Verg. Ge. III. 133: „Cum graviter tunsis *gemit* area frugibus". Aliter Verg. Ge. I. 192: „teret area culmos" et Hor. Sat. I. 45: „Milia frumenti tua triverit area centum", ubi *area terit* ponitur pro: *tribulum terit in area.*

X.

Tr. IV. 8, 19—20:

Ne cadat et multas palmas inhonestet *adeptus*,
Languidus in pratis gramina carpit equus.

Adeptus: Merkel; sed retinenda est vulgata lectio: ***adeptas,*** quia hoc participium verbi deponentis sensu passivo saepe occurrit. Cf. Sallust. Catil. 7, 3 et Iug. 101, 9; Tac. Ann. I. 7, 5.

XI.

Tr. V. 1, 27—28:

Non haec ingenio, non haec componimus arte:
Materia est propriis *ingeniosa* malis.

H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 156.) recte monet epitheton *ingeniosa* interpretandum esse ex Ov. Her. VI. 117: „Lemnos . . . terra *ingeniosa* colenti" et Fast. IV. 684: „ad segetes *ingeniosus* ager". Quibus addo Verg. Ge. II. 177: „Nunc locus arvorum *ingeniis*". Ergo materia *ingeniosa* significat hic materiam fecundam, uberrimam, felicem.

XII.

Tr. V. 5, 15—16. (de uxore):

Si quod et instabat dominae miserabile vulnus,
Sit *perfuncta* meis tempus in omne malis.

H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 156.) adnotat: „Das schwierige *sit perfuncta* (domina) *meis tempus in omne malis* war zu erklären: sit perfuncta eo (miserabili vulnere) meis malis (abl. causae) tempus in omne, d. h. durch die Trauer um mein Geschick hast du Anspruch auf Befreiung von allem ferneren Leid erworben". Locus non ita difficilis; *perfuncta* enim hoc loco absolute positum est idemque fere significat, quod *liberata*, *immunis*. Eodem modo apud Cic. Dom. 17. et Cluent. 41, 116.

XIII.

Tr. V. 7, 15—18. de Sarmatis Getisque:

In quibus est *nemo*, qui non coryton et arcum
Telaque vipereo lurida felle gerat.
Vox fera, trux vultus, verissima Martis imago,
Non coma, non *ulla* barba resecta manu.

V. 18. *ulla manu* inepte dictum; pro *ulla* scribendum *ulli*, i. e. nulli barbarorum coma, nulli barba resecta est, quod postulare videtur etiam *nemo* vs. 15. Cf. Tr. IV. 10, 58: „Barba resecta *mihi* bisve semelve fuit".

XIV.

Tr. V. 7, 57—58:

En pudet et fateor: iam desuetudine longa
Vix subeunt ipsi verba Latina mihi.

H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 159.) adnotat: „V. 57. ist mit manchen Handschriften *et* (statt *en*) *pudet et fateor* zu lesen, vgl. Met. XIV. 279: „Et pudet et referam" (i. e. quamquam pudet, tamen referam). Eodem sensu Rem. 467: „Et pudet et dicam". Adde Met. VIII. 506: „Et cupio et nequeo", ibid X. 371: „pudetque Et cupit et, quid agat, non invenit".

XV.

Pont. I. 1, 13—14. ad Brutum de epistulis ex Ponto Romam missis:

Quid veniant, novitate roges fortasse sub ipsa.
Accipe, quodcumque est, dummodo non sit amor.

Ad vs. 13. haec adnotavi: „Scribendum potius: *qui veniant*, i. e. quales libri". Erravi; *quid* hoc loco significat *cur*, ut Tr. III. 7, 5—6. (ad Perillam de epistula sua Perillae missa): „Quidquid agat, cum te scierit venisse relinquet, Nec mora, *quid venias* quidve, requiret, agam" et ibid. III. 12, 33—34: „Sedulus occurram nautae dictaque salute *Quid veniat*, quaeram".

XVI.

Pont. I. 2, 99—102.

Di faciant igitur, quorum iustissimus ipse est,
Alma nihil maius Caesare terra ferat
Utque diu salvo *sic* sit sub Caesare terra
Perque manus huius tradita gentis eat.

Ad vs. 100. cf. Hor. Carm. IV. 2, 37—39. (de Augusto): „Quo nihil maius meliusve terris Fata donavere bonique divi" et Epist. II. 1, 15—17. (de eodem): „Praesenti tibi maturos largimur honores Iurandasque tuum per nomen ponimus aras, Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes". V. 101. pro *sic*, quod ita positum plane otiosum esse videtur, scribendum censeo ***sua*** i. e. Caesari propria. *Suus* = alicui proprius, praegnanter dictum, ut Propert. III. 7, 34: „Quid meritum dicas, cui *sua* terra parum est", Ov. Am. II. 12, 30: „Et felix — dicas — quem *sua* terra tenet", Pont. I. 1, 5—6. (de libris suis): „Publica non audent intra monimenta venire, Ne suus hoc illis clauserit auctor iter" et ibid. I. 3, 2: „Qui miser est, ulli si *suus* esse potest". Ceterum vs. 101. *salvo* est emendatio Kornii; codices habent: *sub eo* mendose.

XVII.

Pont. I. 3, 53—54 de Ponto Euxino:

Neve fretum laudes terra magis, aequora semper
Ventorum rabie *solibus* orba tument.

Pro *solibus* scribendum ***portubus;*** cf. Tr. IV. 4, 55—58: „Frigida me cohibent Euxini litora Ponti: Dictus ab antiquis Axenus ille fuit. Nam neque iactantur moderatis aequora ventis Nec placidos *portus* hospita navis adit“, ibid. III. 2, 11—12: „nec me mare *portubus orbum* Perdere diversae nec potuere viae“, ibid. III. 12, 38: „Litora rarus in haec *portubus orba* venit“.

XVIII.

Pont. I. 5, 5—6.

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut *careant vitio*, *si* moveantur aquae.

Genuinam lectionem exhibet codex Monacensis 384., ut Ehwald (*Kritische Beiträge zu Ovids Ep. ex Ponto,* Gotha, p. 53) recte vidit: „Ut ***capiant vitium, ni*** moveantur, aquae“. Codex Hamburgensis habet: *capeant vitio*, unde corruptela orta est.

XVIII.

Pont. I. 5, 21—22:

Torquet enim fortuna parum, nisi *Lissus* in Hebrum
Confluat et frondes Alpibus addat Atho.

In commentario meo scripsi *Lissus*, qui est fluvius Thraciae, ex coniectura Merkelii; Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 41.) retinendam censet codicum optimorum lectionem: ***Lixus,*** qui est fluvius Mauretaniae teste Plin. N. H. V. 4, XXXII. 15. Recte: ut enim vs. 22. montes inter se longe distantes, Alpes et Atho, coniunguntur, ita etiam vs. 21. fluvii longe inter se distantes commemorari debent.

XIX.

Pont. I. 6. 39—42. (de Spe dea):

Haec dea quam multos laqueo sua colla ligantes
Non est proposita passa perire nece!
Me quoque conantem gladio finire dolorem
Arguit iniecta continuitque manu.

H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 156.) adnotat: „Das ungewöhnliche *arguit* durch Met. XI. 173, XV. 73. zu erläutern". Nullo modo: scribendum procul dubio ***arcuit,*** i. e. impediit, prohibuit. Cf. Ov. Met. III. 86—89: „plagamque sedere Cedendo *arcebat* nec longius ire sinebat". *Arcuit* absolute positum eodem, quo hoc loco, sensu Ov. Met. II. 504—505: „Vulnifico fuerat fixurus pectora telo: *Arcuit* omnipotens".

XX.

Pont. I. 8. 3—4:

Neve roga, quid agam: si persequar omnia, flebis:
Summa, satis, nostri si tibi nota mali.

Ad vs. 4. adnotavi: „*nota*, sc. erit". Intellege: „Si omnia mea mala narrabo, flebis: ergo satis erit, si tantum summa nostri mali nota erit tibi", i. e. si tantum summatim et breviter tibi narro meos dolores. Cf. Varr. De re rust. II. praef.: „*breviter* ac *summatim* percurram"; Verg. Aen. I. 342: „*summa* sequar fastigia rerum".

XXI.

Pont. I. 8, 27—28. (de exilio suo):

Ut careo vobis *Scythicas* detrusus in oras,
Quattuor autumnos Pleias orta facit.

Pro *Scythicas* cum codice Hamburgensi et Monacensi 384. scribendum esse ***Stygias*** recte monet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 54.) Ceterum etiam verbum *detrusus* optime convenit *Stygiae*

(i. e. infernae) *orae* poetaque aperte imitatur Vergilium Aen. VII. 773.: „*Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit ad undas.*“ Cf. Trist. IV. 5, 21—22: „Et tutare caput nulli servabile, si non Qui mersit *Stygia*, sublevet illud, aqua“; Pont II. 3, 44: „A *Stygia* quantum sors mea distat aqua“; ibid. IV. 9, 73—74: „Et si quem dabit aura sinum, iactate rudentes, Exeat e *Stygiis* ut mea navis *aquis.*“

XXII.

Pont. I. 8, 73—74:

Terra velim propior nullisque obnoxia bellis
Detur; *erat* nostris pars bona dempta malis.

V. 74. *erat* legitur in editione Merkeliana; sed scribendum cum Güthlingio ***erit***, i. e. si mihi terra dabitur nullis bellis obnoxia, nostris malis pars bona dempta erit.

XXIII.

Pont. I. 9, 25:

O *quotiens* dixit: „Placabilis ira deorum est:
Vive nec ignosci tu tibi posse nega“.
Vox tamen illa fuit *celeberrima:* „Respice, quantum
Debeat auxilium Maximus esse tibi“.

H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 156.) ita me monet: „Weiss der Interpret, was *celeberrima* hier heisst? Ich wusste es lange nicht und dachte wegen der deutlichen Beziehung auf 23. *quotiens dixi* an *creberrima* (häufige Verwechslung in den Handschriften!) Aber Ars II. 705: *sponte sua celeberrima verba loquentur* nötigt doch zu der Annahme, dass Ovid *vox* und *verba celeberrima* im Sinne von „häufig gebrauchte Worte“ (fast = Am. III. 7, 12. *publica verba*) gewagt hat“. Rectissime: *celeberrima* hoc loco idem significat, quod *celebratissima,* i. e. saepissime usitata, ut apud Cic. Phil. II. 23, 57: „Scis me in rebus *celebratissimis* omnium sermone versari“.

XXIV.

Pont. I. 9, 45—46. (de carmine suo Romam mittendo):

Hoc est, quod *possim* Geticis tibi mittere ab oris:
Hoc solum est, istic quod *liquet* esse *meum*.

Pro *possim* ex codice Monacensi 384. ***possum,*** pro *liquet* ex Hamburgensi et Monacensi 384. ***licet*** scribendum esse recte censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 54.) *Istic* significat: *in urbe Roma;* cf. infra §. LXXX. ad Pont. IV. 10, 35—36. Pro *meum* autem scribendum censeo ***mei,*** ut sensus sit: haec est sola *pars mei,* cui licet Romae esse. Cf. Pont. III. 5, 42: „Nescio quid certe sentit abesse *sui?*" Tr. III. 14, 23—24. (de libris Metamorphoseon nondum emendatis): „Nunc incorrectum populi pervenit in ora, In populi quicquam si tamen ore *mei* est"; Tr. III. 2, 22: „Quidquid et amissa restat in urbe *mei*"; ibid III. 14, 5—9: „Suscipis exceptis ecquid mea carmina solis Artibus, artifici quae nocuere suo? Immo ita fac, quaeso, vatum studiose novorum, Quaque potes, retine *corpus* in Urbe meum. Est fuga dicta mihi, non est fuga dicta libellis". Carmen suum *partem sui* (interdum etiam, ut l. l. *corpus suum* et Trist. I. 7, 20. *viscera sua*) nominat, ut iam Met. XV. 875—876: „*Parte* tamen meliore *mei* super alta perennis Astra ferar nomenque erit indelebile nostrum", secutus Hor. Carm. III. 30, 6—7: „Non omnis moriar multaque *pars mei* Vitabit Libitinam". *Meum* eo magis corruptum videtur, quia Ovidius non potuit de se dicere: „Haec est sola *possessio mea*, cui Romae licet esse"; erat enim relegatus, non exul, bona sua non omisit, habuit Romae domum et hortos.

XXV.

Pont I. 10, 44:

Suppliciter vestros *quisque rogate* deos.

Quod ad usum pronominis *quisque* cum verbo plurali attinet, cf. Cic. Agr. I. 26: „pro se *quisque* nostrum ... *habemus*"; Verg. Aen. XII. 552: „Pro se *quisque* viri summa nituntur opum vi". *Vestros deos,* i. e. deos, quos potissimum colere soletis.

XXVI.

Pont. II. 1, 21—24:

Indice te didici nuper visenda coisse
  Innumeras gentes ad ducis ora sui:
Quaeque capit vastis *inmensum* moenibus *orbem*,
  Hospitiis Romam non habuisse locum.

Ad vs. 23. adnotavi: „hoc loco *orbis* significat locum (tamquam circulum) muris circumdatum". Versum rectius explicat H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 154), qui de *immenso terrarum orbe* cogitat. Intellege: Roma, quae tanta est, ut moenibus suis totum paene terrarum orbem (i. e. incolas paene totius orbis terrarum) capere possit, nunc vix habuit locum hospitiis. Cf. Ov. A. A. I. 173—174: „Nempe ab utroque mari iuvenes, ab utroque puellae Venere atque ingens *orbis in Urbe* fuit."

XXVII.

Pont. II. 2, 5—6:

Ei mihi! *quid* lecto vultus tibi nomine non est,
  Qui fuit et dubitas cetera perlegere?

Pro *quid* cum Hamburgensi et Monacensi 384. ***si*** scribendum et post *perlegere* signum exclamationis ponendum esse censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 54.) et confert Pont. IV. 8, 13—14: „*Ei mihi*, *si* lectis vultum tu versibus istis Ducis".

XXVIII.

Pont. II. 2, 75—76. (de domo Augusti florente):

Adde *nurus* neptesque pias natosque nepotum
  Ceteraque Augustae membra valere domus.

Pro *nurus* cum codice Hamburgensi et Monacensi 384. ***nurum*** scribendum censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 54.), quia hoc tempore Augustus unicam habuit nurum, Antoniam, viduam Drusi maioris, filii Liviae.

XXIX.

Pont. II. 2, 95—96:

At mihi Sauromatae pro Caesaris ore videndi
Terraque pacis inops undaque *iuncta* gelu.

H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 159.) pro *iuncta* scribendum censet ***vincta,*** quod exhibent codices Monacenses 384. et 19476. Adfert Trist. III. 10, 25: „ut *vincti* concrescant frigore rivi“ et Pont. III. 1, 15: „glacie freta *vincta*“.

XXX.

Pont. II. 3, 9:

Cura, quid expediat, *prius* est, quam quid sit honestum.

Recte H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 159.): „Hier lässt sich *prius* durch Trist. IV. 4, 29: *prius obfuit error* nicht verteidigen; die in einzelnen Handschriften auftauchende Konjektur *prior* ist notwendig“.

XXXI.

Pont. II. 3, 19—20:

Illud amicitiae quondam venerabile *numen*
Prostat et in quaestu pro meretrice sedet.

H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 159.) pro *numen* scribendum censet ***nomen;*** rectissime. Cf. Trist. I. 8, 15: „Illud amicitiae sanctum et venerabile *nomen* Re tibi pro vili sub pedibusque iacet“; Ex Pont. III. 2, 43: „Nos quoque amicitiae *nomen*, bone, novimus, hospes“ et ibid. IV. 13, 44: „Per non vile tibi *nomen* amicitiae“.

XXXII.

Pont. II. 3, 69—74:

Movit amicitiae tum te constantia longae,
Ante tuos ortus quae mihi coepta fuit,
Et quod eras aliis factus, mihi natus amicus,
Quodque tibi in cunis oscula prima *dedi*.

Quod, cum vestra domus teneris mihi semper ab annis
Culta sit, esse vetus me tibi cogit onus.

Haec est interpunctio in editione Merkeliana. H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 156.) recte locum explicat interpunctione mutata: „Offenbar ist das dritte *quod* (vs. 73.) Fortsetzung der beiden ersten (vs. 71. 72.) und nach *dedi* statt des Punktes ein Komma zu setzen. In 73. ist zu konstruieren: *quod vestra domus*, cum . . . culta sit, *cogit* me tibi vetus onus esse".

XXXIII.

Pont. II. 5, 1—2:

Condita disparibus numeris ego Naso *Salano*
Praeposita misi verba salute meo.

Agitur de *Cassio Salano*, Caesaris Germanici in rhetoricis magistro, quem commemorat Plin. N. H. XXXIV. 47: „duo pocula Calamidis manu caelata, quae *Cassio Salano* praeceptori suo Caesar Germanicus adamata donaverat".

XXXIV.

Pont. II. 5, 15—16:

Quoque magis moveare malis, doctissime, nostris,
Credibile est fieri condicione loci.

H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 159.): „Ich lese ***quodque*** (statt *quoque*) *magis moveare malis*, d. h. et credibile est fieri, quod moveare. Das überlieferte *quoque* ist ohne Sinn und Konstruction." Rectissime.

XXXV.

Pont. II. 5, 65—68. agitur de comparatione oratoris et poetae:

Distat opus nostrum, sed fontibus exit ab isdem,
Artis et ingenuae cultor uterque sumus.
Thyrsus enim nobis, gestata est laurea vobis,
Sed tamen ambobus debet inesse calor.

V. 67. ita scripsi Burmannum secutus. Sed codex Hamburgensis habet: *Thirsus sublestate gustata est laurea nobis*, Monacenses: *Thirsus ubi est a te gestata est laurea nobis*; ex his versum felicissime restituisse videtur *Rothmaler* (*Progr. von Nordhausen* 1871. p. 12.): *Thyrsus abest a te gustata et laurea nobis*, i. e. a te, oratore, abest thyrsus et laurea a nobis (poetis) gustata; tu orator es, non poeta: ergo non tangeris thyrso Bacchi neque vesceris laurea Phoebi, ut nos poetae, qui hunce in modum sacro quodam furore corripimur. Bacchus enim thyrso percutit poetas, quibus furorem inicere vult; cf. Lucr. I. 922: „sed acri Percussit thyrso laudis spes magna meum cor"; Ov. Am. III. 1, 23: „Tempus erat thyrso pulsum graviore moveri: Cessatum satis est, incipe maius opus"; ibid. III. 15, 17: „Corniger ncrepuit thyrso graviore Lyaeus: Pulsanda est magnis area maior equis". Folia autem lauri Apollini sacrae manducabant vates fatidici, furoris excitandi causa; cf. Tibull. II. 5, 63. (Sibylla de se): „Vera cano: sic usque sacras innoxia *laurus Vescar*"; Lycophr. 6. (de vatibus): δαφνηφάγοι λαιμοὶ et Ov. Rem. 75—76: „Te precor incipiens: adsit tua *laurea* nobis, Carminis et medicae Phoebe repertor opis".

XXXVI.

Pont. II. 5, 73—76 (ad Salanum, Caesaris Germanici amicum et in rhetoricis magistrum):

Pro quibus ut maneat, de quo censeris, amicus,
  Comprecor ad vitae tempora summa tuae,
Succedatque *tuis* orbis moderator habenis:
  Quod mecum populi vota precantur idem.

V. 75. *tuis* in editione Merkeliana secundum excerpta Scaligeri; Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 38.) cum omnibus codicibus pro *tuis* scribendum censet ***suis*** et locum ita interpretatur: „*Succedere* steht eben hier nicht im Sinne von „nachfolgen", sondern ebenso wie z. B. Verg. Aen. II. 723: *succedoque oneri* im Sinne von „etwas auf sich nehmen"; *habenae suae* sind die dem Germanicus zukommenden, ihm gebührenden Zügel; also

„er möge als Herrscher der Welt die Zügel, die ihm bestimmt sind, ergreifen". Sed *habenis succedere* = *subire* (auf sich nehmen) is tantum dici potest, qui habenis se subicit, qui regitur habenis, non qui regit; is enim, qui regit habenas, dicitur habenas *accipere, capere;* cf. Ov. Met. XV. 41: „*Accepisse* Numam populi Latialis *habenas*"; Fast. I. 25: „vatis rege vates habenas". Tenenda est igitur altera verbi *succedere* significatio, quae est: vicarii aut *heredis* loco alicui muneri succedere; cf. Cic. Att. IV. 37, 81: „*succedamque* ego vicarius *muneri tuo*"; Justin. XVII. 3, 6: „post eius mortem frater regno *successit*", i. e. heres regni factus est. Ergo sententia: *succedat suis habenis* ita est interpretanda: „Germanicus sit post mortem Tiberii *successor imperii sibi debiti*". Ad vs. 75: „orbis moderator habenis" cf. Tibull. IV. 1, 115: „validisque sedet *moderator habenis*" et Lucret. II. 1095—1906: „Quis regere immensi summam, quis habere profundi Indu manu validas potis est *moderanter habenas*".

XXXVII.

Pont. II. 6, 23—24 (de iis, qui amicos in rebus adversis deserunt):

Turpe sequi casum et fortunae *cedere* amicum
Et nisi sit felix, esse negare suum.

Fortunae cedere amicum hoc loco significat: fortunae minus prosperae *permittere* (tamquam tradere) amicum suum sine auxilio. Cf. Cic Sull. 46: „*permitto* aliquid iracundiae tuae, do adulescentiae, *cedo* amicitiae, tribuo parenti".

XXXVIII.

Pont. II. 7, 1—3:

Esse salutatum *vult* te mea littera primum
A male pacatis, Attice, missa Getis.
Proxima subsequitur, quid agas, audire *voluptas*.

Pro *voluptas* cum codice Argentoratensi et Gothano ***voluntas*** scribendum esse censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 56.), quod postulare videtur etiam *vult* vs. 1.

XXXIX.

P. II. 7, 5—8:

. . . sed me *tumor* ipse malorum
Saepe supervacuos cogit habere metus.
Da veniam, quaeso, nimioque ignosce timori:
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.

V. 5. pro coniectura Merkelii (*tumor*) retinendam esse lectionem codicum ***timor*** recte censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 56.), nam vs. 5. *timor* et vs. 6. *metus* synonyma sunt, quae poeta hoc loco discernit; cf. Cic. Disp. Tusc. IV. 18, 19; „*timorem* (definiunt) *metum* appropinquantis mortis“.

XL.

Pont. II. 7, 23—24:

Crede mihi, si sum veri tibi cognitus oris
Nec *planus* in nostris casibus esse *puter*.

Ita locum exhibui secundum Merkelium in meo commentario; nunc pro *puter* cum Güthlingio scribendum censeo ***putor***. Eodem versu *planus* (brevi prima syllaba) idem significat, quod Graece πλάνος, i. e. praestigiator, fallax. Intellege: crede mihi, si me veridicum neque in meis miseriis narrandis *falsum* putas. Ovidius ante oculos habuisse videtur Hor. Epist. I. 17, 58—62: „Nec semel inrisus triviis attollere curat Fracto crure *planum*, licet illi plurima manet Lacrima, per sanctum iuratus dicat Osirim: Credite, non ludo: crudeles tollite claudum“: „Quaere peregrinum“ vicinia rauca reclamat“. Ceterum ***planus in*** est egregia coniectura Rothmaleri; codices *planis* aut *planus*, quod probabiliter explicari necquit.

XLI.

Pont. II. 7, 41—45:

Sic ego continuo fortunae vulneror ictu
Vixque habet in nobis iam nova plaga locum.
Nec magis assiduo vomer tenuatur ab usu,
Nec magis est curvis Appia trita rotis,
Pectora quam mea sunt serie *caecata* malorum.

V. 45. pro *caecata* scribendum esse cum codice Argentoratensi ***calcata,*** ut comparatio praecedens (fortunae *ictus*, vomer *tenuatus*, Appia *trita*) docet, recte vidit Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 56.), qui confert Ov. Ib. 29: „At tibi, *calcasti* qui me, violente, iacentem". Adde Trist. V. 8, 10: „Imposito *calcas* quid mea fata pede?"

XLII.

P. II. 8, 1—2:

Redditus est nobis Caesar cum Caesare nuper,
  Quos mihi misisti, Maxime Cotta, deos,
Utque tuum munus numerum, quem debet, haberet,
  Est ibi Caesaribus Livia iuncta suis.

Ad vs. 1. adnotavi vulgarem interpretationem secutus: „Cotta misit Ovidio nummum argenteum cum imaginibus Augusti, Tiberii, Liviae". Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 77.) non de nummo, sed de imagine ectypa argentea cogitat: „Der Anblick des Reliefbildes mit der Darstellung des Augustus, des Tiberius und der Livia — so, nicht auf eine Münze ist die Elegie zu erklären, s. Bursians Jahresber. LXXXIII. 3. — hat den Dichter so lebhaft erregt, dass er nach Rom zurückversetzt zu sein meint".

XLIII.

P. II. 8, 5—6. (de imagine argentea Augusti, Tiberii et Liviae):

Argentum felix omnique beatior auro,
  Quod, fuerit *pretium* cum *rude*, numen habet.

Hoc loco *pretium* metallum pretiosum significat, ut Hor. Carm. III. 16, 8. (de Iove in aurum mutato): „Converso in pretium deo". *Pretium rude*, argentum imaginibus nondum ornatum, inartificiosum; cf. Plin. N. XXXIII. 13, 43: „Servius rex primus signavit aes. Antea *rudi*. usos Romae Timaeus tradit. Signatum est nota pecudum, unde et pecunia appellata".

XLIV.

Pont. II. 8, 11—12;

Quantum *aveo*, redii nec me tenet ultima tellus,
Utque prius, media sospes in Urbe moror.

Ita locum exhibui in commentario ex coniectura Merkelii; agitur de dono, quod Cotta Maximus poetae misit, de imaginibus Augusti, Tiberii et Liviae, quibus visis Ovidius se paene in urbem rediisse putat. Locum rectius explicuisse nunc mihi videtur Ehwald, qui pro corruptis codicum lectionibus (Hamburgensis: *quanta meridi*, Monacenses: *quanta a te meriui*, deteriores: *quantum ad me redii*) scribendum censet: „Quantum ***ad te,*** redii" et addit: „Mit Dank und Freude bestätigt Ovid dem Aurelius Cotta, soviel *er* habe thun können, seine Heimkehr vollzogen sei. Die Vermutung Merkels in der zweiten Auflage, *Quantum aveo redii* widerspricht dem Sinne, denn der Dichter möchte natürlich wirklich heimkehren". Ehwald confert Ov. A. A. I. 744: „*Quantum ad Pirithoum*, Phaedra pudica fuit", ubi eadem ellipsis occurrit. Intellege igitur: „Quantum ad te attinet, quantum in tua protestate fuit, ego iam Romam redii".

XLV.

Pont. II. 9, 59—62:

Tempora sic data sunt studiis ubi iusta paternis,
Atque suis numeris forte quievit opus,
Ne tua marcescant per inertis otia somnos,
Lucida Pieria tendis in astra via.

Pro *Atque* scribendum fortasse *Aque*, i. e. ubi labor *a* suis muneribus quievit. Cf. Liv. III. 53, 8: „nunquamne quiescet civitas nostra *a suppliciis?*"

XLVI.

Pont. II. 10, 27—28:

Nec procul hinc *nympha est*, quae, dum fugit Elidis amnem,
Tecta sub aequorea nunc quoque currit aqua.

Recte H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920, p. 159.): „mit der ganzen Überlieferung ist statt *nympha est* zu schreiben ***nymphe.*** Diese Form ist Met. I. 744., III. 345., 357., IV. 277., XIV. 762. ganz sicher bezeugt.“ Sed idem postulavit iam Ehwald *Krit. Beitr.* p. 57.

XLVII.

Pont. III. 1, 11—14. (de terra Pontica):

Tu neque ver sentis cinctum florente corona,
  Tu neque messorum corpora nuda vides,
Nec tibi pampineas autumnus porrigit uvas:
  Cuncta sed immodicum tempora frigus *habent.*

Pro *habent* Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 77.) scribendum censet ***habet,*** i. e. frigus habet, tenet, possidet omnia tempora anni, non solum hiemem. Cf. Fast. II. 754: „et gelidum pectora frigus habet“; Pont. I. 2, 30: „Et similis morti pectora torpor habet“.

XLVIII.

Pont. III. 1, 33—34. (Ovidius ad uxorem, quae poetam interrogavit, quid pro eo faceret):

Quid facias, quaeris? quaeras hoc scilicet *ipsum;*
  Invenies, vere si reperire voles.

Pro *ipsum* scribendum esse ***ipsa*** iam Riese suspicatus est; intellege: „Quid facias, me interrogas? quaeras hoc *tu ipsa*; nam ego tibi consilium dare non possum.“ Cf. Pont. IV. 12, 43—49: „*Quid mandem quaeris?* peream, nisi dicere vix est . . . Nec, quid agam, invenio, nec quid nolimve velimve, Nec satis utilitas est mihi nota mea. Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit, Et sensus cum re consiliumque fugit. *Ipse,* precor, *quaeras,* qua sim tibi parte iuvandus“.

XLIX.

Pont. III. 1, 43—46. (ad uxorem):

Magna tibi *imposita* est nostris persona libellis:
Coniugis exemplum diceris esse bonae.
Hoc cave degeneres, ut sint praeconia nostra
Vera; vide, famae quod tuearis *opus*.

In commentario meo ad vs. 46. adnotavi: „Pro *opus* scribendum censeo ***onus***." Cf. Pont. III. 4, 61—62. (de uxore): „praestat amorem *Impositumque*, sibi firma *tuetur onus*" et Trist. V. 14, 15—16. (ad uxorem): „Adde, quod, ut rerum sola es tutela mearum, Ad te non parvi venit honoris *onus*".

L.

Pont. III. 1, 99—104. (ad uxorem):

Gratia si nulla est, lacrimae tibi gratia fient:
Hac potes aut nulla parte movere deos.
Quae tibi ne desint, bene per mala nostra cavetur
Meque viro flendi copia dives adest.
Utque meae res sunt, omni, puto, tempore flebis:
Has fortuna tibi nostra *ministret* opes.

Codex Hamburgensis habet *ministret*, sed cum codicibus Monacensibus scribendum esse *ministrat* recte vidit Güthling.

LI.

Pont. III. 2, 1—2:

Quam legis a nobis missam tibi, Cotta, salutem,
Missa sit ut vere *pervigeatque* precor.

Ita Merkel; sed Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 57.) recte monet retinendam esse codicum omnium lectionem: ***perveniatque***, i. e. ut epistula cum salute perveniat Romam.

LII.

Pont. III. 2, 15—18. poeta ita excusat amicos in rebus adversis sibi infideles:

Me quoque amicorum nimio terrore metuque,
  Non odio quidam destituere mei.
Non illis pietas, non officiosa voluntas
  Defuit: adversos extimuere deos.

Deinde vs. 23—24. haec dicit:

Sint hi contenti venia *sperentve* licebit
  Purgari factum me quoque teste suum.

Ita locum exhibui in commentario meo secundum Merkelium, sed codex Hamburgensis, gravissimus testis, habet *sientque;* huic corruptelae proxime accedit sensumque efficit aptissimum vetus eiusdem Merkelii coniectura: ***scierintque,*** quod una cum Güthlingio recipiendum puto.

LIII.

Pont. III. 2, 27—30. (ad Cottam Maximum, amicum optimum):

Tunc igitur meriti morietur gratia vestri,
  Cum cinis absumpto corpore factus ero.
Fallor? et illa meae superabit tempora vitae,
  Si tamen a memori posteritate legar.

Ita Merkel; ego cum Güthlingio vs. 29. ita interpungendum censeo:

Fallor, et illa meae superabit tempora vitae,

I. e. sed fallor gratiam beneficii tui una mecum morituram dicens *et illa* (sc. gratia) vitae meae superstes erit, si quidem opera mea a posteris legentur. Hoc loco rarior usus coniunctionis *et* occurrit: pro *nam* ponitur. Similis usus Ov. Her. VII. 35: „Fallor, et ista mihi falso iactatur imago“. *Si tamen* vs. 30.

hoc loco pro *si quidem* ponitur, ut Ov. Met. IV. 536—538 (Venus de se): „aliqua et mihi gratia ponto est, *Si tamen* in dio quondam concreta profundo Spuma fui“ et Trist. III. 14, 23—24. (de Metamorphoseon libris): „Nunc incorrectum populi pervenit in ora, In populi quicquam *si tamen* ore mei est.“

LIV.

P. III. 2, 83—84:

Alteruter nostris, inquit, cadat hostia sacris,
Ad patrias sedes nuntius alter eat.

Ita locum exhibui in commentario meo ex coniectura Merkelii; agitur de Oreste et Pylade Dianae Tauricae sacrificandis. Sed Ehwald *(Krit. Beitr.* p. 50.) recte monet retinendam esse codicum scripturam: „***Alter ut e vobis,*** inquit, cadat hostia sacris“, ubi *ut* concessivum est; intellege: „Quamvis alter e vobis cadat, alter redeat in patriam“.

LV.

Pont. III. 4, 63—64.

Quid mirum, lectis exhausto floribus horto,
Si *vice* non facta est digna corona *sua*.

Ita locum exhibui in commentario meo ex coniectura Merkelii; codices habent: „Si *duce* non facta est digna corona *suo*“. Nunc alteram Merkelii coniecturam (*vice* pro *duce*) reicio. Agitur enim de carmine Ovidii in triumphum Tiberii scripto: hoc est corona duce non digna. Pro *suo* autem nunc quoque scribendum censeo ***sua*** et totam sententiam ita explico: „Si corona *debita* (= *sua*) non fiebat, non evasit duce digna“. Quod ad usum praegnantem pronominis *suus* (= *alicui debitus*) attinet, cf. Ov. Am. I. 15, 39—40: „Pascitur in vivis Livor, post fata quiescit, Cum *suus* ex merito quemque tuetur honos“.

LVI.

Pont. III. 4, 65—66:

Deprecor, haec vatum contra sua carmina ne quis
Dicta putet: pro se Musa locuta mea est.

Agitur etiam hoc loco de carmine Ovidii in triumphum Tiberii scripto. Poeta supra vs. 51—54. exponit, cur carmina poetarum Romae habitantium, qui triumphum ipsi spectaverunt, carmine suo aequare non potuerit. Deinde addit: „Deprecor, ne quis poetarum haec, quae supra exposui, contra sua carmina dicta putet: tantum pro se Musa mea locuta est, i. e. eo consilio, ut me defenderem, non eo, ut aliorum merita minuerem".

LVI'.

P. III. 4, 89:

Inrita *motorum* non sunt praesagia vatum.

In commentario meo adnotavi: „*motorum*, divino quodam monitu permotorum". Sed *motorum* coniectura est N. Heinsii; codices habent ***votorum,*** quod retinendum censuit iam Güthling in editione sua haec scribens: „*votorum* coniungendum cum *inrita*". Sententiam eius confirmavit Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 48.) collato Stat. Theb. VII. 314: „nunquam manus *inrita voti*".

LVIII.

Pont. III. 4, 103—104. (de triumpho praeparando):

Scuta, sed et galeae gemmis radientur et auro
Stentque super *victos* trunca tropaea viros.

Pro *victos* scribendum ***vinctos*** cum Monacensi 384. censet Ehwald *(Krit. Beitr.* p. 58.); nam in numismatis apparent passim captivi *vincti* sub tropaeis sedentes; cf. *Babélon*, Monnaies cons. I. 194. II. 115. Similis locus apud Propert. III. 4, 18: „Et subter captos arma sedere duces".

LIX.

Pont. III. 4, 107—108. (de imagine Rheni lugentis in triumpho portanda):

Squalidus *inmissos* fracta sub harundine crines
Rhenus et infectas sanguine *portet* aquas.

Versum ita exhibui in commentario meo, sicut Riese et Güthling, *portet* est lectio codicum deteriorum; *potat* legitur in Monacensi 384, *portat* in Monacensi 19476. Rhenus igitur *inmissos crines* et *sanguine infectas aquas* dicitur *portare*; sed verbum *portandi* hoc loco neque ad *crines* neque ad *aquas* commode referri potest. Mea quidem sententia non modo *portet*, sed etiam *inmissos* corruptum; omnia plana fiunt tali mutatione:

Squalidus ***inmittat*** fracta sub harundine crines
Rhenus et infectas sanguine ***motet*** aquas,

i. e. deus Rhenus sub fracta harundine latens solvat crines, fluvius autem, ubi latet deus, undas sanguine infectas *moveat*. Cf. Trist. IV. 2, 41—42: „Cornibus hic fractis, viridi male tectus in ulva, Decolor ipse suo sanguine Rhenus erat"; agitur autem etiam hoc loco de imagine triumphali, ubi deus Rhenus cornibus fractis in ulva fluvii latere, ipse autem fluvius sanguine infici videbatur. Similis locus apud Propert. III. 3, 45—46: „Barbarus aut Suebo perfusus sanguine Rhenus Saucia maerenti corpora vectet aqua". Quod ad usum verbi *motare* attinet, cf. Ov. Met. III. 45—46: „Derceti, quam versa squamis velantibus artus *Stagna* Palaestini credunt *motasse* figura"; Pont. I. 5, 6: „Ut capiant vitium, ni *moveantur*, aquae"; Verg. Aen. I. 155: „sed *motos* praestat componere fluctus". De fluminibus tamquam devictis cf. Hor. Carm. II. 9, 21—22. de Euphrate devicto: „Medumque flumen gentibus additum Victis minores volvere vertices" et Verg. Aen. VIII. 726. de Euphratis imagine in triumpho Augusti: „Euphrates ibat iam mollior undis".

LX.

Pont. III. 4, 109—112. (de Livia triumphum Tiberii praeparante):

Barbara iam capti poscunt insignia reges
  Textaque fortuna divitiora sua:
Et quae praeterea virtus invicta tuorum
  Saepe parata tibi, saepe paranda facit.

Recte Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 81.): „Est ist aus dem Text Ovids nicht zu ersehen, wovon das *Et quae . . . facit* abhängig ist. Dass es noch zu *poscunt* gehört und mit *insignia textaque* parallel steht, ist doch undenkbar; es bildet vielmehr den Abschluss der gesammten Aufzählung und muss sich selbst also an eine allgemeine Aussage, die das Vorhergehende zusammengefasst hat, anfügen: „Dies alles musst du Livia, bald besorgen und ausserdem *quae virtus . . . paranda facit.*“ Der allgemeine Gedanke ist ausgefallen, also nach 110, eine Lücke des Archetypus anzunehmen“. Lacuna ergo inter vss. 110. et 111. statuenda. Ad distichon alterum: „Et quae praeterea virtus invicta tuorum Saepe parata tibi, saepe paranda facit“ Ehwald (p. 80.) adnotat: „Die Interpunktion der Herausgeber ist verkehrt; das Komma muss entfernt werden, da *quae saepe parata* das Objekt zu dem durch eine prädikative Bestimmung erweiterten *facit* ist: die Heldentugend der deinen bewirkt, dass du die schon oft gemachten Vorbereitungen erneuern musst“, eigentlich: „macht das oft vorbereitete (*saepe parata*) zu einem oft vorzubereitenden (*paranda*)“.

LXI.

Pont. III. 5, 23—24:

Utque fui solitus, sedissem forsitan unus
  De centum iudex *in tua verba* viris.

In tua verba praegnanter dictum: ad tua verba attentus. Cf. Pont. IV. 4, 35—36; „patresque e more vocati Intendent aures *ad tua verba* suas“.

LXII.

Pont. III. 6, 1—2:

Naso suo, posuit nomen *cui* paene, sodali
Mittit ab Euxinis hoc breve carmen aquis.

Pro *cui* cum Monacensi 334. ***quam*** esse scribendum, ut tota sententia: *posuit nomen quam paene* parenthesis sit, censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 59.) Cf. Pont. I. 10, 30: „Scis mihi *quam* solae *paene* bibantur aquae“ et ibid. IV. 5, 10: „Excidit heu nomen *quam* mihi *paene* tuum“.

LXIII.

Pont. III. 7, 21—22. scribit Ovidius de salute sua iam desperans:

Spem iuvat amplecti, quae non *iuvet* inrita semper:
Et fieri cupias, si qua futura putes.

Pro *iuvet* scribendum videtur ***fuit;*** intellege: tantum eam spem iuvat diutius alere, quae nos non fefellit semper, et ea tantum cupere possumus, quae futura (eventura) putamus; nam, quae fieri nunquam posse nobis iam persuasimus, ea neque sperare neque cupere possumus.

LXIV.

Pont. III. 9, 21—25:

Scribentem iuvat ipse *calor* minuitque laborem,
Cum *quasso* crescens pectore fervet opus:
Corrigere *at* res est tanto *magis* ardua, quanto
Magnus Aristarcho maior Homerus erat,
Sic animum lento curarum frigore laedit.

Locum difficilem rectissime interpretatus est Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 60.), qui vs. 23. pro *at* scribit ***ut*** et pro *magis* cum Monacensi 19476. ***minus***. Coniunctiones *ut* (vs. 53.) et *sic* (vs.

25.) arctissime cohaerent idemque paene significant, quod *quamvis — tamen*; cf. Pont. III. 1, 63—64. „*Utque* favere reor plures virtutibus istis, *Sic* tua non paucae carpere facta volent“ et ibid. III. 2, 19—20: „*Utque* magis cauti possunt timidique videri, *Sic* appellari non meruere mali“. Intellege: *Quamquam* corrigere tanto *minus* difficile est quam scribere, quanto minor erat Aristarchus criticus Homero poeta, *tamen* corrigendi labor animum laedit et *calorem* (vs. 21.) illum poeticum refrigerat“. Ceterum *calor* vs. 21. est coniectura N. Heinsii pro *labor* codicibus melioribus tradito; *cum quasso* (vs. 21.) coniectura Merkelii pro *cumque suo* codicibus tradito.

LXV.

Pont. IV. 1, 9—16. (poetam paenitet se nomen patroni, Sexti Pompei, in epistulis nondum commemorasse):

O! quotiens ego sum libris mihi visus in istis
  Impius, in nullo quod legerere loco:
O! quotiens, alii cum vellem scribere, nomen
  Rettulit in ceras inscia dextra tuum.
Ipse mihi placuit mendis in talibus error
  Et vix invita facta litura manu est.
„Viderit“ ad *summam* dixi. „Licet ipse queratur,
  Hanc pudet offensam non meruisse prius“

V. 15. *ad summum* legitur in editionibus, sed in codicibus omnibus est ***ad summam***, quod retinendum. Hoc loco *ad summam* idem significare videtur, quod *denique* aut *postremo*, sicut apud Iustin. XIII. 8, 8. XXII. 1, 8. XXXII. 1, 8. et Vitruv. VII. praef. 10: „Et *ad summam* mors eius ut parricidii *damnati* varie memoratur“.

LXVI.

Pont. IV. 2, 9—10. (de donis supervacuis):

Quis mel Aristaeo, quis Baccho vina *Falerno*,
  Triptolemo fruges, poma det Alcinoo?

Falerno coniecit Zinzerling; codies omnes:

Falerna, quod retinendum esse censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 62.) Cf. Tibull. I. 9, 34: „Bacchi cura Falernus ager“ et Stat. Silv. II. 4—5: „Qua Bromio dilectus ager collesque per altos Uritur et prelis non invidet uva Falernis“.

LXVII.

Pont. IV. 2, 33—34.

Sive quod in tenebris numerosos ponere *gressus*,
Quodque legas nulli scribere carmen idem est.

Gressus Merkel; ***gestus***, codices nostri omnes, quod retinendum censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 62.) Scilicet antiquis in saltatione maioris momenti esse videbantur bracchiorum, quam pedum motus; cf. Ov. A. A. III. 349—350: „Quis dubitet, quin scire velim saltare puellam, Ut *moveat* posito *bracchia* iussa mero“, ibid. II. 305: „*Bracchia* saltantis mirere“, ibid. I. 595: „si mollia *bracchia*, salta“. Propert. II. 22, 5. (de puella saltante): *Sive aliquis* molli diducit candida *gestu bracchia*.

LXVIII.

Pont. IV. 3, 49—50:

Ludit in humanis divina potentia rebus
Et certam praesens vix *habet* hora fidem.

Pro *habet* cum codice Monacensi 384. scribendum esse ***feret*** censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 63.), qui confert Verg. Aen. X. 792: „Si qua *fidem* tanto est operi *latura* vetustas“.

LXIX.

Pont. IV. 4, 33—34:

Cumque deos omnes, tum quos impensius aequos
Esse tibi cupias, cum Iove Caesar erunt.

H. Magnus (*Berliner Philologische Wochenschrift* 1920. p. 157.) distichon ita explicat: „Cumque deos omnes (sc. aequos esse tibi cupias), tum erunt cum Iove Caesar. quos impensius aequos esse tibi cupias“.

LXX.

Pont. IV. 6, 33—36. (de Bruto oratore):

Cum tibi suscepta est legis vindicta severae,
  Verba velut *tinctum* singula *virus* habent.
Hostibus eveniat, quam sis violentus in armis,
  Sentire et linguae *tela* subire tuae.

Poeta verba oratoris et accusatoris severi cum sagittis venenatis comparat. *Tinctum virus* hoc loco significat venenum sagittae inlitum, idem, quod *tinctile virus* Trist. III. 10, 64: „Nam volucri ferro *tinctile virus* inest".

LXXI.

Pont. IV. 8, 75:

Utque nec ad citharam nec ad arcum segnis Apollo est.

H. Magnus (*Berliner Philologische Wochenschrift* 1920. p. 157.) confert Hor. Carm. II. 10, 18—20: „quondam cithara tacentem Suscitat Musam neque semper arcum Tendit Apollo".

LXXII.

Pont IV. 9, 5—8. de epistula Graecino consulatum adituro mittenda:

Ut, quoniam sine me tanges Capitolia consul
  Et fiam turbae pars ego nulla tuae,
In domini subeat partes et praestet amici
  Officium *iusto* littera nostra die.

Iusto est coniectura Merkelii; codices: *iusso,* quod retinendum censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 64.) *Iussus dies*, quo epistula Romam pervenire debet; cf. Ov. A. A. II. 223: „Iussus adesse foro *iussa* maturius *hora* Fac semper venias".

LXXIII.

Pont. IV. 9, 35—36.

Hinc ego praesentes inter numerarer amicos,
Mitia ius Urbis si modo fata darent.

Hinc ex coniectura Merkelii; ***hic*** (i e. hoc loco) codices, quod Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 65.) retinendum censet; agitur enim de Capitolio, ubi Graecinus, novus consul, sacra facit.

LXXIV.

Pont. IV 9, 41—44. de Graecino, novo consule:

Mente tamen, quae sola loco non exulat, utar,
Praetextam fasces aspiciamque tuos.
Haec modo te populo reddentem iura videbit
Et se *secretis* finget adesse *locis*.

Codices habent: *secretis . . . tuis*, Merkel: *secretis . . . locis*. Locum rectissime emendavit Korn ita: ***decretis . . . tuis***, i. e. mens mea videbit te populo iura reddentem et finget se adesse *decretis consularibus*. Apud scriptores antiquos passim occurrunt: *decreta* consulis, praetoris aliorumque magistratuum.

LXXV.

Pont. IV. 9, 63—64:

Sic tu bis fueris consul, bis consul et ille
Inque domo *bimus* conspicietur honor.

Agitur de fratribus C. Pomponio Graecino, consule suffecto ann. 16. p. Chr. n. et de L. Pomponio Flacco, consule ann. 17. p. Chr. n. Vs. 64. in codicibus legitur ***binus*** (pro: *bini*), archaismus, quo Ovidius imitari videtur poetam illum, quem laudibus saepe effert, Lucretium; cf. Lucret. V. 866: „corpore *bino*“ et IV. 434: „*bina* supellex“. Heinsius scribendum censuit *bimus*. Quod Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 52.) ita refutat: „*Bimus* bringt

ein ganz fremdes Element herein und zudem einen historisch-staatsrechtlichen Fehler. Denn *jährige Konsulate* giebt es in der damaligen Zeit nicht mehr und Graecinus war in der That nur vom 1. Juli bis 31. December 16. p. Ch. Konsul".

LXXVI.

Pont. IV. 9, 71—72:

Quod tamen a rerum cura propiore vacabit,
Vota precor votis addite vestra meis.

H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 157.) hoc loco ita me reprehendit: „Dass *quod* Accusativus und Objekt zu *vacabit* ist, musste durchaus dem Leser gesagt werden". Sed errat vir doctissimus: *quod* est nominativus et subiectum verbi *vacabit*; intellege: „Quod *temporis* a curis proprioribus vacabit, eo tempore vota vestra addite meis". Eadem ellipsis Trist. V. 5, 17—18. „Quaeque gravi nuper plus quam quassata procella est, *Quod superest*, tutum per mare navis eat", ubi *Quod superest* significat: tempore, quod superest, i. e. tempore reliquo: eodem modo Trist. V. 1, 23: „*Quod superest*, numeros ad nubila carmina flexi", ubi poeta dicere vult: „Tempore praeterito scripsi carmina lasciva; nunc exul tempore reliquo carminibus tristibus fingendis operam dabo". Cf. Prop. III. 17, 19: „*Quod superest vitae*, per te et tua cornua vivam"; Ov. Her. V. 150: „Et tua, *quod superest temporis*, esse precor"; Hor. Epist. I. 18, 108: „et mihi vivam, *Quod superest aevi*, si quid superesse volunt di".

LXXVII.

Pont. IV. 9, 129—132. poeta precatur Augustum iam Divum, de quo paulo ante carmen composuit:

Tu nostras audis inter convexa locatus
Sidera, sollicito quas damus ore preces.
Perveniant istuc et carmina *forsitan* illa,
Quae de te misi caelite facta novo.

Pro *perveniant* (vs. 131) scribendum ***pervenient***, sc. in caelum (*istuc*); coniunctivus enim hoc loco cum *forsitan* apte iungi non potest. Vs. 132. ad *misi* supplendum: hinc Romam misi.

LXXVIII.

Pont. IV. 10, 13—14:

An grave sex annis pulchram fovisse Calypso
Aeaeaeque fuit concubuisse deae?

Aeaeaeque Merkel; ***aequoreae*** codices, quod retinendum censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 67.); cf. Ov. A. A. II. 123—124: „Non formosus erat, sed erat facundus Ulixes, Et tamen *aequoreas* torsit amore deas“ i. e. Circen et Calypso.

LXXIX.

Pont. IV. 10, 23:

Nec vincet Cyclops saevum feritate *Phyacen*.

Ad *Phyacen* haec adnotavi: „Hoc loco codicum scriptura incerta est; *Phyacen* habent deteriores, *Piacchen* Monacensis 384“. Agitur de populis Ponticis. Adde: *Piacchen* Thracium nomen esse censet *Tomaschek*, Sitzungsber. der Wiener Akad. d. W. 1894, CXXXI. 20.“

LXXX.

Pont. IV. 10, 35—36. poeta de calamitatibus suis Tomitanis questus addit:

Qui veniunt *istinc*, vix vos ea credere dicunt.
Quam miser est, qui fert asperiora fide.

Istinc significat: ex urbe Roma, i. e. notat locum, quo epistula mittitur. Eodem modo *istic* et *istuc*; cf. Cic. Fam. VII. 13: „scribito, quid *istic* (sc. Romae) agatur“; Trist. III. 3, 25: „tu forsitan *istic* (sc. Romae) Iucundum nostri nescia tempus agis“; Pont. II. 2, 97: „Si tamen haec audis et vox mea pervenit *istuc*“ sc. Romam.

LXXXI.

Pont. IV. 12, 27—28. (ad Tuticanum poetam):

Dignam Maeoniis Phaeacida condere chartis
Cum te *Pierides* perdocuere *tuae*.

Pierides . . . *tuae* habet Merkel; codices: *Pieriae* . . . *deae* quod retinendum censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 68.)

LXXXII.

Pont. IV. 12, 39—42. (ad Tuticanum):

Tu modo *per superos*, quorum certissimus ille est,
Quo tuus assidue principe crevit honor,
Effice constanti profugum pietate tuendo,
Ne sperata meam deserat aura ratem.

Ad vs. 39. *per superos* adnotavi: „Caesares". Rectius H. Magnus (*Berl. Phil. Woch.* 1920. p. 154.), qui *superos* hoc loco sensu proprio accipiendos et *deos caelestes* significare censet. Intellege: „Tu modo, *per superos oratus*, quorum certissimus deus est Tiberius, effice" etc. Caesarem diis adnumerat, ut Pont. IV. 4, 33—34: „Cumque deos omnes, tum quos impensius aequos Esse tibi cupias, cum Iove Caesar erunt"; Pont. I. 2, 99: „*Di* faciant igitur, quorum iustissimus ipse est" i. e. Augustus; Ib. 23—24: „*Di* melius, quorum longe mihi maximus ille est (sc. Augustus), Qui nostras inopes noluit esse vias".

LXXXIII.

Pont. IV. 12, 47—48:

Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit,
Et *sēnsus* cum re consiliumque fagit.

In commentario meo legitur: „*sensus*, meus". Hoc loco error typothetae me fefellit; pro *meus* lege ***mens***: i. e. mens et consilium fugit miseros.

LXXXIV.

Pont. IV. 14, 7—8:

Nulla mihi cura est, terra quo *muter* ab ista,
Hac quia, quam video, gratior omnis erit.

Muter habet Merkel; *mittar:* codices, quod retinendum censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 68.) Cf. Trist. III. 8, 22: „Ex his me iubeat quolibet ire locis“.

LXXXV.

Pont. IV. 16, 27—28. (de poetis suae aetatis):

Et qui Maeoniam Phaeacida vertit et *una*
Pindaricae fidicen tu quoque, Rufe, lyrae.

Una est vulgata lectio, *une:* cod. Monacensis 384. (= *unice*, vocativus), quod retinendum censet Ehwald (*Krit. Beitr.* p. 72) Vocativus *une* occurrit Catull. 37, 17. Intellege: Rufus est poeta unicus, qui Pindarum imitari est ausus, immemor illius Horatiani: „Pindarum quisquis studet aemulari“ etc.

LXXXVI.

Am. I. 2, 41—42. (de Amore triumphatore):

Tu pinnas gemma, *gemma variante capillos*
Ibis in auratis aureus ipse rotis.

Intellege; *gemmatum crinale* gerit Amor, ut solet. Contrarium dicit poeta Pont. III. 12, 15. de Amore lugente: „Nec torquem collo nec habens *crinale* capillo“.

LXXXVII.

Am. I. 6, 53—58. (verba amatoris exclusi ad ianuam amicae):

Si satis es raptae, *Borea,* memor Orithyiae,
Huc ades et surdas flamine tunde fores!

Urbe silent tota vitreoque madentia rore
Tempora noctis eunt: excute poste seram.
Aut ego iam ferroque ignique paratior *ipse*,
Quem face sustineo, tecta superba petam.

Pro *ipse* (vs. 58.) scribendum censeo: ***ipso;*** intellege: „Aut ego, paratior *ipso Borea* (cf. vs. 53.), ferro et igne illo, quem face sustineo, tecta superba petam". Cf. Ov. Her. 10, 113: „Vos quoque crudeles venti nimiumque *parati*". Non est igitur opus priore mea coniectura, qui in editione pro *paratior ipse* scripsi: *o ianitor ipso*, ruitque interpretatio ibidem exposita. Ad vss. 57—58. in commentario meo p. 117—118. haec adnotavi: „poeta ante oculos habuit Stratonis epigramma". Quod delendum; scribe: „similem rem tangit Stratonis epigramma".

LXXXVIII.

Am. I. 7, 9—10. de Oreste a Furiis vexato:

Et, vindex in matre patris, malus ultor, Orestes
Ausus in *arcanas* poscere tela deas.

Suspectum est epitheton *arcanas*. Arcana enim iure appellatur Ceres propter mysteria Eleusinia, sed cur Furiae? Poeta hoc loco ante oculos habuit Eurip. Orest. vs. 266. sq. (Orestis verba): ὦ Φοῖβ', ἀποκτενοῦσι μ' αἱ κυνώπιδες Γοργῶπες, ἐνέρων ἱέρειαι, δειναὶ θεαί· et ibid 268., sq.: Δὸς τόξα μοι κερουλκά, δῶρα Λοξίου, Οἷς μ' εἶπ' Απόλλων ἐξαμύνασθαι θεάς, Εἴ μ' ἐκφοβοῖεν μανιάσιν λυσσήμασιν. Euripides igitur Furias *inferorum sacerdotes* appellat, quare pro *arcanas* scribe ***Orcinas,*** i. e. infernas. Similis locus Ov. Fast. IV. 235—236. (de Attide Furias vidente): „Et modo „tolle faces", „remove", modo „verbera" clamat, Saepe *Palaestinas* iurat adesse deas", ubi pro suspecto epitheto *Palaestinas* Klussmann coniecit: *palam Stygias.*

LXXXIX.

Am. I. 8, 57—58. (verba lenae ad puellam):

Ecce, quid iste tuus praeter nova carmina vates
Donat? amatoris milia multa *leges.*

Pro *leges* in editione mea conieci ***feres*** collato Propert. IV. 5, 53—54: „Aurum spectato, non quae manus afferat aurum: Versibus auditis quid nisi verba *feres?*“ Adde Catull. 110, 4. (de puella rapaci): „Quod nec das et *fers* saepe, facis facinus“.

XC.

Am. II. 4, 39—40:

Candida me capiet, capiet me flava puella,
Est etiam in fusco grata colore Venus.

In editione mea adnotavi: „Praeterea respexisse videtur duo Stratonis epigrammata“. Quod delendum; scribe: „similem rem tangunt duo Stratonis epigrammata“.

XCI.

Am. II. 9, 1—4:

O numquam pro me *satis indignate* Cupido,
O in corde meo desidiose puer,
Quid me, qui miles numquam tua signa reliqui,
Laedis et in castris vulneror ipse meis.

Poeta Cupidini obicit, quod deus pro se nihil faciat, quo puellarum amorem sibi conciliet; ideo appellat Cupidinem *desidiosum*, ut Propert. I, 1, 17.: „In me *tardus* Amor non ullas cogitat artes“, i. e. nullas me docet artes, quibus puellas capere possim; *pigritiam* obicit deo etiam infra vs. 11—12: „Nos tua sentimus, populus tibi deditus, arma. *Pigra* reluctanti cessat in hoste manus“. Corruptum est vs. 1. *satis indignate*. Cf. Sall. Iug. 31: „vos *pro libertate* nonne summa ope *nitemini?*“; Liv. XXXV. 10, 1: „cum pro *C. Laelio niteretur*“; Ov. Pont. III. 1, 39—40. (ad uxorem): „Pectore te toto cunctisque incumbere nervis Et *niti pro me* nocte dieque decet“. Ergo pro *satis indignate* scribe: ***niti dignate,*** i. e. tu qui numquam es dignatus pro me laborare, sed in corde meo piger es.

XCII.

Am. II. 16, 37—40:

Non ego Paelignos videor celebrare salubres,
Non ego natalem, rura paterna, locum,
Sed Scythiam Cilicasque feros *viridesque Britannos*
Quaeque Prometheo saxa cruore rubent.

Virides Britannos significat hoc loco *viridem Britanniam*, i. e. silvis virentibus claram: cf. Strab. IV. p. 199: ἔστι δ' ἡ πλείστη τῆς νήσου (sc. Britanniae) πεδιὰς καὶ κατάδρυμος. Non est igitur opus mea coniectura, qui in editione pro *viridesque* scripsi *vitreosque*. Ruit etiam interpretatio ibidem a me exposita.

XCIII.

Am. III. 1, 3.

Fons sacer in medio speluncaque *pumice pendens*.

In commentario meo adnotavi: „poeta ante oculos habuit Propert. III. 3, 27—28: „Hic erat affixis viridis spelunca lapillis Pendebantque cavis tympana pumicibus". Adde Verg. Ge. IV, 373: „thalami *pendentia pumice* tecta".

XCIV.

Am. III. 2, 9—10. (de ludis circensibus):

Hoc mihi contingat, *sacro de* carcere missis
Insistam forti mente vehendus equis.

Pro suspecto *sacro de* in editione mea commendavi: ***reserato,*** collato Ov. Am. III. 2, 77: „Iamque patent iterum *reserato* carcere postes". Adde Ov. A. A. III. 595: „Tum bene fortis equus *reserato* carcere currit".

XCV.

Am. III. 3, 35—36:

Iuppiter ipse suos lucos iaculatur et arces
Missaque periuras tela ferire vetat.

Locis duobus Lucretianis ad hunc locum in commentario allatis adde Ciceronis versus De div. I. 19: „Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit“.

XCVI.

Am. III. 5, 19—20. (de tauro in herbis obdormiscente):

Visus erat, somno vires adimente, *ferenti*
Cornigerum terra deposuisse caput.

Pro *ferenti* Lucianus Mueller coniecit *feraci*, i. e. fecunda, fertili. Sed infra agitur de vacca infideli taurum relinquente aliumque campum petente (vss. 19—20.): „Illuc se rapuit gregibusque immiscuit illis Et petiit herbae *fertilioris* humum“. Campus igitur, ubi taurus iacet quemque vacca pro fertiliore campo relinquit, non potest *ferax* appellari. Cf. Ov. Her. 19, 197—198: „Stamina de digitis cecidere sopore remissis Collaque pulvino nostra *ferenda* dedi“. Pro *ferenti* igitur scribe ***ferendum,*** i. e. taurus caput somno onustum in terra deposuit *ferendum*, cum lassum eius collum caput ferre iam non posset.

XCVII.

Am. III. 11, 33—34:

Luctantur pectusque leve in contraria tendunt
Hac Amor hac odium, sed, puto, vincit amor.

Poeta ante oculos habuit Propert. I. 3, 13—14: „Et quamvis duplici correptum ardore iuberent *Hac Amor hac Liber*, durus uterque deus“.

Appendix.

I. Ad causam relegationis.

In commentario meo ad Tristia de causa relegationis disputans (p. 135. sqq.) haec fere scripsi de Pont. IV. 6, 9—16:

Fabius Maximus, consul a. a. Chr. n. 11. et Marcia, uxor Fabii, fuerunt patroni Ovidii et uxoris eius. Quare poeta, postquam relegatus est, a Fabio potissimum sperabat salutem misitque ad eum duas litteras auxilium implorans, Pont. I. 2. et III. 9. Postea de morte patroni certior factus scripsit *Pont. IV. 6.*, *cuius recta interpretatio ad causam relegationis detegendam summi est momenti.* Legamus igitur locum (Pont. IV. 6, 9—16.) in quaestionem vocandum:

Certus eras pro me, Fabiae lux, Maxime, gentis,
  Numen ad Augustum supplice voce loqui
Occidis ante preces *causamque* ego, Maxime, *mortis* —
  Nec fueram tanti — *me reor esse tuae.*
Iam timeo nostram cuiquam mandare salutem:
  Ipsum morte tua concidit auxilium;
Coeperat Augustus deceptae ignoscere culpae:
  Spem nostram terras deseruitque simul.

Ovidius certe scivit, quod eo tempore rumore populi pervulgatum erat, Fabium ideo ad mortem esse adactum, quia Augustum cum *Agrippa Postumo* reconciliare voluisset. Cur igitur se incusat propter mortem amici? Putavit enim Fabium sibi amicissimum non solum Agrippae, sed etiam sibi prodesse voluisse, cum Augustum in insulam *) comitaretur sperans fore, ut imperator

* Sc. in insulam Planasiam, ubi Agrippa vixit exul.

restituto Agrippa etiam Ovidio ignosceret: i. e. *poeta hoc loco causam suam cum causa Agrippae Postumi ipse coniungit*, cum Fabium pro Agrippa mortuum propter se occidisse dicit. Salus igitur poetae a salute Agrippae pependisse Fabiusque post reconciliationem avi cum nepote verba apud imperatorem pro Ovidio facere voluisse (cf supra vss. 9—10.) videtur.

Eodem loco vs. 14. corruptelam latere suspicor et pro *concidit* scribendum censeo: ***constitit***, ut restituatur apta sententiarum cohaerentia hunce in modum: „Iam timeo meam salutem cuiquam amicorum mandare, ne iis noceam, ut Fabio nocui, quem rogaveram, ut mihi auxilium ferret: nam hoc ipsum auxilium mihi a te datum *morte tua*, o Fabi, *constitit:* immo Augustus quoque, simulatque mihi ignoscere coepit, periit". Cf. Caes. Bell. Gall. IX. 7, 19: „Edocet, quanto detrimento et quot virorum fortium *morte* necesse sit *constare* victoriam". Auxilium autem poetae a Fabio datum erat reconciliatio Augusti cum Agrippa. Cur denique dicit Ovidius vs. 15: „Coeperat Augustus deceptae ignoscere culpae?" Quia Augustum Agrippae iam ignoscere coepisse audivit, unde eum erga se quoque clementiorem fore sperabat. *Videtur igitur Ovidius per Fabium et Marciam cognovisse Agrippam Postumum fuisseque eius cultor, et, cum Agrippa iram Augusti in se vertisset, hac amicitia inductus fecisse una cum aliis Agrippae amicis pro salute Agrippae tale quid, quo iram Augusti in se quoque vertit.* Haec exposui in editione Tristium.

Nunc autem maxima cum admiratione video *in eadem epistula* (Pont. IV. 6.) ex litteris initialibus versuum 7. 8. 16. 21. 29. 40. 47. 48. componi posse nomen: ***Postumus.*** En tibi, candide lector, totum poema, ut iudicare possis:

Quam legis, ex illis tibi venit epistula, Brute,
  Nasonem nolles in quibus esse locis.
Sed tu quod nolles, voluit miserabile fatum.
  Ei mihi! plus illud, quam tua vota, valet.
5 In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est:
  Iam tempus lustri transit in ulterius.
*P*erstat enim fortuna tenax votisque malignum
  *O*pponit nostris insidiosa pedem.

Certus eras pro me, Fabiae lux, Maxime, gentis,
10 Numen ad Augustum supplice voce loqui.
Occidis ante preces causamque ego, Maxime, mortis —
Nec fueram tanti — me reor esse tuae.
Iam timeo nostram cuiquam mandare salutem:
Ipsum morte tua concidit auxilium.
15 Coeperat Augustus deceptae ignoscere culpae:
Spem nostram terras deseruitque simul.
Quale tamen potui, de caelite, Brute, recenti
Vestra procul positus carmen in ora dedi.
Quae prosit pietas utinam mihi sitque malorum
20 Iam modus et sacrae mitior ira domus!
Te quoque idem liquido possum iurare precari,
O mihi non dubia cognite Brute nota.
Nam cum praestiteris verum mihi semper amorem,
Hic tamen adverso tempore crevit amor,
25 Quique tuas pariter lacrimas nostrasque videret,
Passuros poenam crederet esse duos.
Lenem te miseris genuit natura nec ulli
Mitius ingenium, quam tibi, Brute, dedit:
Ut qui, quid valeas, ignoret, Marte forensi,
30 Posse tuo peragi vix putet ore reos.
Scilicet eiusdem est, quamvis pugnare videntur,
Supplicibus facilem, sontibus esse trucem.
Cum tibi suscepta est legis vindicta severae,
Verba velut tinctum singula virus habent.
35 Hostibus eveniat, quam sis violentus in armis,
Sentire et linguae tela subire tuae.
Quae tibi tam tenui cura limantur, ut omnes
Istius ingenium corporis esse negent.
At si quem laedi fortuna cernis iniqua,
40 Mollior est animo femina nulla tuo.
Hoc ego praecipue sensi, cum magna meorum
Notitiam pars est infitiata mei.
Immemor illorum, vestri non immemor umquam,
Qui mala solliciti nostra levatis, ero.
45 Et prius hic nimium nobis conterminus Hister
In caput Euxino de mare vertet iter,

*U*tque Thyesteae redeant si tempora mensae,
*S*olis ad eoas currus agetur aquas,
Quam quisquam vestrum, qui me doluistis ademptum,
50 Arguat ingratum non meminisse sui.

Quid de hac re tam mirabili dicamus? Putemusne acrostichon in tam brevi carmine casu ortum? Sed tale acrostichon in aliis Tristium et Ponticorum epistulis *nusquam* occurrit. *An voluit Ovidius, initia versuum supra enumeratorum litteris solito maioribus scribens, amico Bruto significare causam et mortis Fabii et exilii sui?*

II. Ad Trist. II. 125—131.

Trist. II. 125—131. laudat poeta clementiam Augusti in poena sua:

Cuius in eventu poenae clementia tanta est,
Venerit ut nostro lenior illa metu.
Vita data est citraque necem tua constitit ira,
O princeps parce viribus use tuis!
Insuper accedunt, te non adimente, *paternae*,
Tamquam vita parum muneris esset, *opes*.
Nec mea *decreto* damnasti facta *senatus*.

Videtur hoc loco poeta poenam suam comparare voluisse cum poena illius, propter quem relegatus est, Agrippae Postumi, qui senatusconsulto in exilium missus est bonaque paterna amisit. Cf. Tac. Ann. I. 6: „Multa sine dubio saevaque Augustus de moribus adulescentis questus, ut exilium eius *senatusconsulto* sanciretur effecit“; Sueton. Aug. 65: „Agrippam nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiorem in insulam transportavit saepsitque insuper custodia militum; *cavit* etiam *senatusconsulto*, ut eodem loci in perpetuum contineretur“; Cass. Dio. 55, 32: τὴν Ἰουλίαν (i. e. Liviam) ὡς μητρυίαν διέβαλλεν (sc. Agrippa), αὐτῷ τε τῷ Αὐγούστῳ πολλάκις ὑπὲρ τῶν πατρῴων (*bona paterna!*) ἐπεκάλει . . . καί, οὐ γὰρ ἐσωφρονίζετο, ἀπεκηρύχθη, καὶ ἥ τε οὐσία αὐτοῦ τῷ στρατιωτικῷ ταμιείῳ ἐδόθη καὶ αὐτὸς εἰς Πλανασίαν τὴν πρὸς Κύρνον νῆσον ἐνεβλήθη.

III. Ad Am. I. 1, 21—23.

Am. I. 1, 21—23. agitur de Amore deo arcum tendente:

Questus eram, pharetra cum protinus ille soluta
  Legit in exitium spicula facta meum
Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum.

Intellege: dextro genu terrae innixus arcum sub sinistro poplite cornibus sursum versis positum curvavit, ut nervum insereret. Ita solebant arcum tendere et nervum inserere sagittarii antiqui, ut imagines docent; cf. *Cybulski:* Tabulae quibus antiquitates Graecae et Romanae illustrantur, tab. II.

Corrigenda.

I. In commentario ad Tristia.

P. 5. in praefatione ad l. II. vs. 92: *eram.* Haec est lectio non solum codicis Laurentiani, sed codicum omnium.

P. 5. ad l. II. vs. 111: *quae.* Non ex mea coniectura, sed: ex coniectura Baehrensii.

P. 6. ad l. II. vs. 281: *multis.* Non: codices plurimi, sed: coniecit Riese.

P. 6. ad l. IV. 3, vs. 83: *facta.* Non ex mea coniectura, sed: ex coniectura Ehwaldii.

P. 7. ad l. V. 5, vs. 45: *morum.* Non ex mea coniectura, sed ita codices deteriores.

P. 43. ad II. vss. 111—112: *quae.* Non ex mea coniectura, sed ex coniectura Baehrensii.

P. 93. ad IV. 3, vss. 83—84: *facta.* Non ex mea coniectura, sed: ex coniectura Ehwaldii.

P. 136. vs. 34. pro *cultorem* lege: *cultor.*

II. In commentario ad Epistulas.

P. 6. in praefatione ad l. II. 1, vs. 34: *quae.* Non *codices*, sed: ex coniectura Heinsii.

P. 6. ad l. II. 5, vs. 67: *nobis . . . vobis.* Non *scripsi*, sed: scripsit Burman.

P. 44. vs. 11. pro *Typhon* lege *Typhoeus.*

P. 77. vs. paenult. pro *meus* lege *mens.*

Addenda.

I. Ad Trist. III. 10, 23—24.

Trist. III. 10, 23—24.

Nudaque consistunt, formam servantia testae,
Vina nec hausta meri, sed data frusta bibunt.

Cf. Verg. Ge. III. 364. (de hieme Scythica): „caeduntque securibus umida vina"; Plin. N. H. XIV. 132: „circa Alpes ligneis vasis condunt (vina) circulisque cingunt atque etiam hieme gelida ignibus rigorem arcent. Mirum dictu, sed aliquando visum: ruptis vasis stetere glaciatae moles, prodigii modo, quoniam vini natura non gelascit, alias ad frigus stupens tantum".

II. Ad Trist. III. 10, 31—34.

Trist. III. 10, 31—34:

Quaque rates ierant, pedibus nunc itur, et undas
Frigore concretas ungula pulsat equi;
Perque novos pontes subter labentibus undis
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.

Cf. Verg. Ge. III. 360—361: „Concrescunt subitae currenti in flumine crustae Undaque iam tergo ferratos sustinet orbis".

III. Ad Trist. II. 521—522.

Trist, II. 521—522:

Scilicet in domibus vestris ut prisca virorum
Artificis fulgent corpora picta manu.

In commentario meo haec adnotavi: „*prisca virorum corpora*, heroes antiquitatis". Sed adferre debebam auctorem Ovidii, Catull. 64, 50—51: „Haec vestis *priscis hominum* variata *figuris Heroum* mira virtutes indicat arte".

PA
6519
A72N4

Némethy Géza
Supplementum commentariorum
ad Ovidii Amores

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY